

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Cæli aspectus & pulchritudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Potuit Adamus è quatuor elementis, & (à prædominio) è terra limoque formatus, quām p̄imū factus est in animans viventem, (hoc est, *animal vivens, & videns*) longè omnia maiore cum voluptate tueri. Ut p̄imū enim spirare, atque è pigra gleba animatus ambulare cœpit, velut peregrinus aliquis hospes in nunquam visam urbem intrans, oculos ubique circumtulit, per hoc nouum, & inusitatæ elegantiae theatrum; sedemque hinc Angelis, inde hominibus, immo utriusque utrisque olim communem aspexit; deorsum virentem, sursum splendentem, & indefatigata cælestium orbium officia voluentem; nusquam non certis eternisque legibus deuinctam miratus. Ac initio quidem, nature corporisque sui utrique fabricam secutus, vultum, ad cælestes orbēs, placuit attollere, vt oculis quoque rationem caperet eorum, quæ iam lucida mente comprehendebat. Ibi ergo in octaua sphæra, suspexit velut innumerabiles stellas, quibus sapientissimus Artifex mixtim, & tanquam sine ordine, non tamen sine consilio, & summa arte, prouidentiaque calum vndique, & vndique, jucundissima confusione, conspersit. Ibi vidit nocturnam Lunæ successionem, à fraternis excursionibus lene remissumque lumen mutuantem; & modò occultam ab hominibus amittendam agnouit, modò toto ore terris imminentem oculis rursus accipiedam, vidit; accessionibus damnisque mutabilem, semperque proximè dissimilem futuram. Ibi obseruavit & reliqua quinque sidera ex indole sua, diuersis vijs, cælisque vagantia, & in contrarium præcipiti mundo nitentia, proprioque motu, quasi per chorūm, nunc horsum, nunc illorum tendentia, circulūmque suum completa, rediturāque, per gyros, ad pristinam stationem. Nec cælestium luminum multitudinem tantam miratus est, sed etiam varietatem, situm, dispositionem, figuramque, ad arbitrium Astrologorum, mente fabricandas. Ibi deprehendit Lunam, & apparetiores fulgores è minoribus ignibus commendari; ibi cum laetitia laudauit, minimæ magnitudinis stellas, quas videt velut aurea quedam puncta, in cæruleo conopæo, pulcherrimè interlucere. Horum omnium siderum lucem, ex arte diuina, sensit non esse meridiani solis claritudini parem, sed leniter illustrantem: *cum ita splendor ad suavitatem temperatus, contemplantium obtuti-*

obtutibus non officeret; & neque cursum astrorum olim obseruatos, neque nauigationum mensuram inde perituros, esset folgor nimis ardens perstricturus; stellaeque singulæ virtutes suas, vel motu, vel luce, sine nocturnæ refrigerationis detrimento, possent commodius propagare. Laudavit tunc vtq; Adam mundi Conditorem, cùm & posteri eius, eodem aspectu incensi, in diuinis laudes fuerint effusi. Suspexit ad astra David, & canere coepit:

Psal. 148, 1.

Dan. 3.

S. Ambros.  
cl. 4. Hexaëm.  
a. p. 2.Senec. lib. 4.  
de benef.  
cap. 23.

V.

S. Ambros.  
lib. cit. c. 1.  
Senec in Hi-  
pol. Virgil.  
4. Georg.

*Laudate Dominum de celis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius, qui scilicet cælestium orbium motibus præstis. Laudate eum omnes virtutes eius; quæ de stellis in terram descenditis, quæque plantas producitis, quarum vi maxima ac minima formantur; & ipsum adeò aurum intra celissimos montes, gemmæ in profundissimis vndis excoquuntur. Aflonian tres pueri, & jucundissimo, inter incendia, tricinio acclamat: Benedicite stelle Domino. D. autem Ambrosius omnes jubet in cælum suspicere, & contueri, quo modo per Lunæ, ac stellarum fulgore cælum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micet, ut Paradiso putes vernante depictum, spirantium roſarum viuis monilibus reniteri.*

*Vnde & à plerisque ornementum celi est nuncupatum, eò quod sit stellorum monile pretiosum. Seneca Ethnicus homo, ipse mundus, ait, quæ-*

*ties per noctem ignes suos fudit, & tantum stellarum innumerabilium refulgit, quem non intentum in se tenet? Tenuit igitur vtique & pri-*

*mum omnium parentem, ac sine corruptionis adhuc caligine sapientem.*

Sed nihil est magis tunc admiratus, quam, quod erat in mundo clarissimum, ipsum scilicer roseum solem, qui est, vt ait S. Pater, oculus mundi, jucunditas diei, celi pulchritudo, natura gratia, præstantia creatura; & vt ait Poëta: sereni maximum mundi decus; qui omnia virtute implet, terras die illustrat, homines & pecudes pulchritudine recreat; celi spirabile lumen, cor vniuersi, vita colorum; in cuius globum lux omnis est collecta; à quo ceu fonte fulgor omnis in lunam & stellas longè latèque dimanat. Qui certius di-  
mensum partibus orbem per duodenā regit, nitidus, cucus, aureu  
astra: qui quotidiano cursu diei noctilique spatia signat; qui an-  
num in æstatem hyemēisque, in ver & autumnū diuidit. Motu  
enim diurno quidem (qui est primi mobilis) in circulos raptus,

grau